

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 12.

*Secretum litterarum commercium inter vivos
et vita functos*

Ad Virum clarissimum Michaelē Denjs —
in Elysium.

Ex Mundo Sublunari.

Elysium-Meum.-Die Veneris 8. Mart. 1809. (Neov. 21. Feb. 1809)

Intimo animi moerore Tibi Vir Clarissime! mitissime, optime! ceu veteranus discipulus opiniones, & Crises Scepticorum nostrorum in argumento duorum iis dilectissimorum poetarum: Ossiani, & Homeri memorare debeo; equidem hanc humanæ mentis fallaciam nemini sincerius fateri possum, quam magistro meo; en diversa societas Homeri cum Ossiano, & scepticismus nostrorum artis Censorum!

Ex quo Macphersonius Scotus ab Anno 1776 epica Carmina herois & poetæ Scotici Ossiani vulgaverat, ab universa Europa summo animorum fervore excipiebantur, in omnes linguas traducebantur; Homeri scetibus comparabantur, & a poetis imitanda sumebantur. Quis, amabo, absque animi commotione Carmina Selmæ, facta Fingalii, & O. caris legit?

Macphersonius narrat: quanto labore hæc Carmina in boreali Scotia, in qua in primi-

genia adhuc lingua a monticolis recitabantur, collegerit, compilaveritque.

Neo aliud in hoc labore meritum prætendit, quam simplicem versorem se fuisse. Historiographus Anglus operam dedit ex obsouro labyrintho Ossianorum Carminum aliquod perspicuum totum produocendi, hocque opere veterem M. Britanniae historiam illustrandi, explicandique.

Quid tandem prodi ? Macphersonius, jam olim editor libelli, quem nemo laudare voluit, admodum delicati animi erat, quare ut se notabiliorem reddat, collegit aliquot in superiore Scotia usitatos populares cantus, eos ad formam Epopæarum extendit, intexit nonnunquam grammaticales sententias ex iis Cantibus, easque pro versionibus Carminum Ossiani edidit, quæ in autographo nemini ostenso se possidere prætexuit. Universæ Europæ adplausu exceptus est. Macphersonius a Bibliopola solutionem egregiam nactus promte Ossiana Carmina plura suppeditavit.

Jam acutissimus Johnson horum Carminum authentiam in dubium vocavit ; idem & alii præcipue Cel. Malcolmus Loing. Scotiæ Hochlandica societas salutem latura Celtico Homero suo, in quo gloriabatur ceu populari suo post obitum Macphersonii, cum dubitationes refellere amplius non posset, jam ante octennium specialem in hunc finem Commissionem ordinavit. Omnia studiose colligebantur, quæcunque tra-

ditiones Cantusque in Scotia scripto aut orales præsto erant, & en! nec una collectarum narrationum aut Cantuum Poëmaticis respondit, a Macphersonio editis! Miseri illi Cantus jam vulgares simplicesque, ut populares solent, tumidi ad risum usque, spiritui notis Carminibus Ossianicis familiari adeo peregrini sunt, adeo adversantur, tamque parum iis concordant, quam majestas fluminis, inopia rivi comparari potest; nequidquam svavitatis, nihil heroico Ossiano propriæ virtutis nobilitatisque inest; crudæ sunt expressiones, semi barbaræ. Exempli ergo: Gaulius canorum Carillum ad coeruleitatem, & fuscitatem usque pulsat, & cur? quod Carillus bubulæ frustum cum cepa condito jusculo cadere nolit! —

Nullus proin Fingalius, ad morem quo ab Ossiano describitur vixit, qui in Cerebro solum Macphersonii residebat. Quodsi Macphersonius arte ingenii sui foetus adcommo- dandi usus fuisset, fortassis in vicem Homericæ æquiparationis ceu insulsi foetus abjecti fuissent. — Sed denique ita mundus comparatus est, magnaque præjudicantis opinionis quavis ætate vis & potestas est. Quam sæpe quod Cel. N. auctorem habet, ceu exemplar prædicatur, quod admodum mediocris ingenii foetus habitum fuisset, si ab alio quam illo peroelebrī viro editum fuisset.

Quis jam fidem nobis præstat: Carminibus Homeri aliam subesse rationem, quam Os-

siani? quis vadem prædemque se offert: unquam vixisse Melesigenem? quamquam: *Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamis, Chius, Argus, Athenæ*, orbis pro patria certat Homere tua! Ao Suidas XVII. urbes de natalibus magni viri contendisse auctor sit. — De communi vetustatis, concordique consensu Homerum *Illyadis*, *Odysseæ*que auctorem esse, parum tendendum est. Etenim: si *Macphersonius Johnsonium* nullum, nullum *Loingum*, societatem nullam *Hochlandicam* reperisset, tota Europa bona hodieum fide *Ossianum* crederet, qui nunquam extitit, & post aliquot sæcula nemo ambigere auderet, quod contrarium de authentia *Ossiani* argumentis demonstrari nequiret amplius.

Pater *Homerus* secundum communem *Chronologiam* circiter annum *Mundi* 3000 vixisse, carminaque fecisse perhibetur, *Seculo* post *Lycurgus* populares cantus ex *Asia* in *Græciam* transtulit, rudia & absque nexu; *Pisistratus* primus erat, qui post aliquot secula duo poemata *Odysseam*; & *Illyadem* ex iis componi curaverat; non commemorando serius in iis correctiones & emendationes *Aristotelis*, *Callisthenis*, *Anaxarchi*, *Zenodoti*, & *Aristarchi*.

Cel. Franciscus Hedelinus quidem sat firmis argumentis jam dubitare ausus est: an unquam *Homerus* aliquis in orbe vixerit, & an ejus opera poetica cultioris ævi utpote *Pisistrati* factus, qui cum veteribus cantibus ad morem *Macphesonii* agere potuit; verum

omnes Philologi Collegiorum Rectores, & Pro-
Rectores vitam ponere maluissent, quam hæ-
resim hanc tolerare.

Parum quidem nostra interest: an lu-
mine captus vir, nomine Homerus, aut alius
elegans ad aulam Pisistrati poëta Iliyadem
Odysseamque concinnarit, at lepidares est, dum
veteris juxta & recentioris ævi historici ex
utroque poemate historiam veteris Græciæ,
Asiæque minoris ceu ex fontibus depromunt,
moresque & consuetudines ætatis Trojanæ
ex Odyssea desumunt.

Appendicis instar dubium de Cæl. Hel-
veto *Wilhelmo Tell* adjicere placet.

Traditionum natura constat. Non
commemorando: quam earum forma prout
de ore ad os circumferuntur, in eadem ra-
tione mutetur, Emigrantes alicujus pro-
vinciae narrationes de rebus gestis majorum
suorum, ad Coloniam a patrio solo remo-
tam perferre possunt, quae a posteris pie
creduntur, et pro patriae historia habentur
sequentique tempore ceu veritates de-
fenduntur. Ante 40 — 50 annos aspera
fuerant tempora, quibus Anecdotum de Wil-
helmo Tellio ad jussum Praefecti provin-
cialis Geszler malum capiti prolis suae im-
positum telo decutientis pro argumento
asperitatis probandae adferebatur, quod ni-
hilominus menti adversatur nostrae; ante
videlicet (eotum narrabatur) Wilhelmus Tell
lucem publicam aspexisset (vixit is circa
1307) jam Saxo Grammaticus (circa 1204 mor-

tuus) proin seculo ante Tellii nativitatem totum hoc Anecdotum cum omnibus suis adjunctis in sua historia Danica memoraverat. In qua haec leguntur, Venator quidam in regno Tecco nomine, ob peritiam telum ad distantiam adammussim ejaculandi longe erat clarissimus, ad quam probandam Haraldus Danorum Rex jussit eum se malum ex vertice prolis suae Tecconem de cutere teli jactu; Jaculator jussui obtemperavit, malumque capiti innocentuli impositum bifariam teli fudit jactu; et cum rogaret tyrannus; cur plura alia tela secum accepisset? reposuit Tecco: id fecisse se ad vibrandum in eum, si primum prolem suam peremisset.

Haec de Scepticis litteraturae; pro argumento progressus elegantiorum mentium nostrarum. — Politica adjuncta quod attinet: continuo inter arma versamur, quae ob hostilitates Anglorum perpetuumque bellum ab eis excitatum conservari debent.

Hac occasione litterae Amstelodamo ferunt: de 7, Febr. secundum nuncios ex Anglia reliquias expeditionis, quae in Hispania tam malefaustum exitum habuit, Coronio portus Anglicanos rursum repetiisse; Generalem quoque Ducem Aestruther praelio die 16. Jan. occubuisse. Erat adhuc magna expeditio in Anglia adparata, quae an nunc vela data sit, tempus docebit.

galli
de 2
mai
huic
nera
aper
vers
legi
tere
Cop
mili
ram
ben
grit
star
tore
lenc
atris
neg
gere
fed
tor
hic
jest
clar
non
dan
dur
Ses
tion
cun
An

Nova turbarum adparitio legitur in gallicis paginis sub Articulo Neo Eboraco de 28. Dec. seq. argumenti: Nuncii ex Jamaica continent fidemque praebent Coloniae huic magnam convulsionem imminere; Generalis Gubernator Dux Manchestriae in aperto bello cum Conventu Colonistarum versatur — qui contendit: eadem sibi privilegia, quae Anglicano Parlamento competere; Is Gen. Vigil. Praefectum Carmichael Copiarum ducem, aliosque plures officiales militares excitavit, ad comparandum coram suo tribunali, testimoniumque praebendum de seditione in quadam legione Nigritarum orta. Praefectus comparere & iuristare renuit, & erga factam apud Gubernatorem interpellationem eum ad id compellendi & adstringendi, respondit Dux Manchestriae: Conventui Jus nequaquam esse, se negotio disciplinam militarem concernenti ingerendi. Ad haec Conventus violente Praefectum ad tribunal duci praecipit. Gubernator Sessiones Conventus suspendit, quo facto hic declaravit: se a 1. Jan. copiis Suae Majestatis nihil praestitutum, eodem tempore declaravit: In omnibus promptuariis publicis annonariam, & bellicam suppellectilem vendendam, & pretium thesaurario Coloniae inferendum esse. Porro decretum est: ut quamdiu Sessiones duraverint, nullae publicae praestationes exigi & percipi, nullum onus publicum pro publico servitio contrahi possit. Animi ultra modum ferrent, obscurique rumo

res, eventuum turbulentorum prodromi indicare videntur: Incolas decrevisse libertatem promulgare, & propugnare.

BIOGRAPHIA.

Denis (Michael) Cæsareo Regius aulicus Consiliarius & Bibliothecæ aulicæ Vindob. Custos primarius Schærdingii Bavaricæ luci editus die 27. Sept. 1727. Passaviæ in Collegio PP. Jesuitarum Humaniora, & Philosophiam absolvit; eruditam hanc societatem die 18. Oct. 1747. ingressus est. Exactis annis probationis linguis orientalibus condiscendis operam dedit; triennio docentis munere defunctus, Græcii & Clagenfurti scholarum inferiorum; in illa urbe quadriennio Theologiæ studuit, expleto tertio probationis anno, uno anno Posonii pro concione dixit tum ad Cæs. Regium Convictum Theresianum translatus, primo anno Præfedi nobilis juventutis munus obivit, & ab anno sequente nobiles adolescentes elegantioribus artibus erudit; eodem anno Garellianæ Bibl. inspectio ei credita, cui dissoluta etiam societate usque abrogationem Equestris Academiæ 1784, præfuit, in qua statione historiam quoque litterariam & librorum scientiam docuit. Jos. Imperator Garellianam Bibliothecam una cum ejus Præfecto ad Leopolditanam Universitatem destinavit, at Vindob. felici porro licuit ut meritissimo viro fruatur. Mortuo enim Cons. Aul. Cel. Kollario munus ad Cæs. aul. Bibl. vacans effectum est, & Denisius ut tertius Custos ei adnotus. A. 1791. primus Custos creatus, actualis Cæs. Reg. Consiliarius, & 29. & p. 1800 supr. diem obiit.